



DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICO-CHIRURGICA,*

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS,
manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis tertiâ mensis Martii, anno Domini M. DCC. LXXIV.

M. Carolo DIONIS, Chirurgiæ Gallico idiomate Professore, Doctore Medico, Præside.

An Herniæ inguinali cum adhæsione, Subligaculum nocet?

I.



MIRA profectò corporis humani structura? quùm tamen in ipsâ naturali partium conformatione nonnihil imperfectum sit, corpus fit ægritudinibus obnoxium. Exterior *Peritonæi* portio naturâ suâ in inguina producitur, atque Abdominis musculis, in quibusdam sui regionibus minùs fulcitur; obliqui descendentes, quasi annulos exhibent versus inguina: ascendentes, veluti arcus effingunt: transversi, molles tantùm limites sunt: recti verò sejunguntur ad umbilicum, quo perforatur linea alba.

* *Auctore M. MALOUIN, anno 1742.*

Aliquando relaxantur hæ partes ; aut ipſis infertur vehementior vis ; vel ab aliquo corpori conatu , vel à nimiâ opimatum alvi partium mole ; unde , nonnunquàm Omentum , ſæpè Inteſtinum , demùm utrùmque ; extra abdomen exitum perpetuo molientia , utpote ſummè mobilia , ad inguina exiliunt ; vel quùm interna ipſa *piritonæi* lamella tranſilit ſuos limites , vel quùm rumpitur ; atque ibi repertâ viâ , paulatìm ab inguinibus in ſcrotum demittuntur ; unde hernia enaſcitur. Dirum ſanè morbi genus , ac vulgare ! Cui levando proficit ſubligaculum firmundis partibus continendiſque , dummodò hoſpitalibus in ſuis ſedibus , hæ repoſitæ ſint ; alias noceret.

II.

NATURA , quantumvis potens , ærumnas patitur ſuas , & aliquando deficit : deficienti ſuccurrere ars operoſa nititur. Alvinis viſceribus cohibendis , quaſi totidem ſunt faſciæ molles , abdominis muſculi , qui a munere ſi deſciſcant ſuo , cingulis habilibus ad hernias coercendas lumbi redimiuntur. Hæc ita corpus circumcingunt ſubligaçula , ut ab eâ parte quæ herniæ locum pertingit , tenero internantur pulvino , ita confectò , ut ipſo adnitente , foramen ramicis obturent.

Quàm ſedulò autem vitari debeat partium herniam conſtituen ium compreſſio ; vix dici poteſt ; nunquàm hâc in te ſatis magna ſit Medici cautio. Molles ſcilicet hæ partes ſubligaculi globulo facilè vellicantur , contundùnturque ; unde inflammatio , ſtrangulatus , iliaca affectio , gangræna , cita mors.

III.

VEL omenti , inteſtini , vel utriùſque extra abdomen prolapſus, res mala : ſi ſit cum adhæſione , peſſima. Sæpe autem in herniâ adhæret omentum , ſæpius inteſtinum ; ſimul etiam non raro ſit ſacci hernioſi adhæſio , vel in arcubus muſculorum abdominis , vel in ſcroto tunicæ *vaginali* , gravatæ occalent partes. Hæ ſi ſic adhærentes extra abdomen lubricæ partes , indociles reductionem pati , devias pertinaciter affectant ſedes , atque in alvum nullâ arte reponi poſſunt , niſi præſente adhuç inflammatione , in morbi initio , quo tempore quidem adhæſio ſimul cum inflammatione , reſolventibus externè applicatis , & diluentibus internè ſumptis , ſolvi poteſt ; aliàs , ipſam avellere non potis es , niſi diſſecentur ramicoſæ partes ſimul adhærentes ; quod propter innumera damna quæ iſtud medendi genus neceſſariò ſequuntur , temere ſuſcipias.

IV.

PARTES externâ vi divulsas, iterùm jungere, Naturæ opus mirabile; at partes naturâ suâ sejunctas conglutinare, mirabilius. Diversa corporis partes, ut intestinum & omentum in sacco hernioso: saccus herniosus ipse, & tunica *vaginalis* in scroto, proximè si se tangant, invicem adhærescere possunt, sicut rami arborum se propiùs contingentes, simul aliquando coalescunt. Hoc autem in arboribus non fit, nisi priùs e uta fuerit exterior ipsarum pellicula; tunc enim, ejus, quæ subest, partis herbaceæ tubuli tubulis applicantur; & commune ramis alimentum invehunt. Eâdem ratione, diversæ corporis animati partes, etsi contiguæ sint, non possunt tamen simul coalescere, nisi priùs extima earum delibata fuerit cuticula; quâ quidem avulsâ se mutuò osculantur vasa, & suos inter se liquores communicant; atque hujus vulnerationis sanatio, partium adhæsionem perficit.

Intimo ex abdomine lapsus, sive omenti, sive intestini difficili excremento tumentis inflammationem vel levissimâ de causâ accersit: inflammatæ partes succis lentis turgidæ, humorem spissum subalbidùmque exudant qui sæpe pro Pure perperàm habetur. Humore isto conglutinantur partes inflammatæ, atque diutiùs durante inflammatione, acris-*urinosis* fit; & deinde *alkalicus*, partium inflammatarum cuticulam corrodit & absumit. Eheu: quanti hinc sequuntur dolores! quantas hoc edit strages! quanta movet funera.

V.

QUO efficacius aliquod in Medicinâ remedium est, eò, si perperàm adhibeatur, plus importat mali. Subligaculum in herniis maximum est adjumentum; intempestivè admotum, plurima infert incommoda; partes in abdomine non repositas, ubi comprimit, graviter nocet: reponi autem non possunt, quùm simul adhærescunt.

Non tamen semper eadem èst, sed interdùm diversa medendi ratio; sic in aliquibus observatum fuit, maximè obesis, *epiplocelen* cum adhæsione, subligaculo non-nihil sanitatem fuisse, quia omentum in compressionis puncto, ita exìle temporis lapsu factum est, ut dilatati annuli sese in integrum ferè restituerint, dum supra & infra tumidum absque molestiâ erat omentum. Sæpe etiam quùm omentum vastiùs tumens retro compelli non potest, quanquàm maximè parentes sint annuli, digitis leniter versùs Penem amovetur omentum, atque ita collatum, ut propè, versùs crus imponatur subligaculi pulvinus, omentum non comprimens, sed impediens ne simul exiliat intestinum.

Interdùm quoque evenit, ut & intestinum, & omentum, adhærentia sacco her-

nioſo qui liberè pendulus erat in ſcroto, abſque adhæſione tunicæ *vaginal'*, ſenſim reducta fuerint in abdomen retinaculo cavo, quod potiùs ad *ſuſpenſorii* continentis, quàm ad ſubligaculi comprimentis ſpeciem accedit. Antequàm autem hanc tentet reductionem Medicus providus auſpex, clyſteribus inteſtina vacuari præcipit, atque diuturnâ ciborum abſtinentiâ ſanguiniſque copiosâ miſſione exonerari curat vaſa, quæ varicoſa ſunt in parte cujus herniæ extimâ; extima autem hæc pars in alvum reducta, intima fit; hâcque ratione, fortiter comprimuntur dilatata hæc vaſa; unde, niſi priùs vacuata ſint, oriuntur atroces colici dolores, & acerbæ iliacæ affectiones; ad quæ quidem ſedanda, hernia revocanda eſt; quod ipſe obſervavi.

Ex his omnibus, non dubitamus aſſerere generatìm ſuſpenſoria adhibenda eſſe in herniis cum adhæſione, in quibus comprimentia ſubligula exitioſos producunt effectus.

Ergò Herniæ inguinali cum adhæſione, Subligaculum nocet.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. *Joannes Staniſlaus* MITTIÉ, *Regiæ Scientiarum & Litterarum Nancei Academiæ Socius, necnon Staniſlai I. Poloniarum Regis, olim, Medicus ordinarius.*

M. *Carolus Ludovicus Franciſcus* ANDRY,

M. *Joannes Baptiſta Alexander* MAIGRET.

M. *Joſephus* PHILIP.

M. *Joannes* D'ARCET.

M. *Franciſcus* THIERY DE BUSSY, *conſiliarius Medicus Regis ordinarius in Supremo Senatu Pariſienſi.*

M. *Simon Antonius* BRINGAUD.

M. *Claudius Joſephus* GENTIL, *Militarium Noſocomiorum ad Regis exercitum Medicus.*

M. *Edmundus Thomas* MOREAU, *Scholarum Profeſſor deſignatus.*

Proponebat Pariſiis JOANNES-BAPTISTA BAIGNERES, Pariſinus; Doctor Medicus Monſpelienſis, necnon Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Pariſienſis Baccalaureus, A. R. S. H. 1774. à ſextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Typographi.